

BX 1749

T6
v. 2
1883



Capilla Alcala
Biblioteca Universitaria



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

QUESTIO VIII.

DE EXISTENTIA DEI
IN REBUS.

Circa titulum hujus quæstionis adverte, D. Thomam non ponere titulum de immensitate, licet agat de illa, quia voluit explicare ipsam rationem formalem hujus attributi, neque enim Deus solum assistit, sed etiam existit intime in ipsis rebus. Unde non solum pertinet ad immensitatem diffundi circa omnes res, quod pertinet quasi ad ejus extensionem, quæ cum infinita sit, et complectatur omnes res optime D. Thomas post quæstionem de infinitate apposuit istam de immensitate, sed etiam spectat ad hoc attributum habere specialem modum contactus divini erga res in quibus existit: qui contactus non potest esse quantitativus cum Deus careat quantitate, sed virtualis, quatenus virtute sua res omnes attingit. Et hoc modo immensitas sequitur non solum ad infinitatem substantiæ, sed etiam virtutis. Et quia virtus Dei qua creaturas tangit est summa et infinita, summo et intimo modo immensitas Dei res attingit, non solum quasi extrinsece illis assistendo, sicut unum corpus assistit alteri, sed etiam intime illabendo, et existendo in rebus, ita quod ipso contactu det illis esse, non autem superveniat alicui esse præsupposito.

Igitur in articulo primo inquit D. Thomas, an Deus sit in omnibus rebus non determinate inquirendo de modo quo est; de hoc enim in articulo tertio inquiret, sed absolute, an Deus habeat præsentiam substantiæ in rebus. Et respondet Deum esse intime in omnibus rebus non sicut essentiam, vel partem essentiae, neque sicut accidens informans, sed sicut agens imprimens rebus totum esse quod habent: unde deducit pertinere ad maximam Dei virtutem, quod a nulla re creata sit distans, neque in aliquid distans a se agere possit. Rationes vero quibus hoc probat, quia magnam habent profunditatem seorsum explicabuntur.

In articulo secundo specialiter explicat D. Thomas quomodo Deus sit in locis, an scilicet sit in loco tamquam in aliis rebus, vel speciali modo in quantum locus est. Et respondetur quod in locis si considerentur, ut res quædam sunt, existit Deus, sicut in aliis rebus dans illis esse, et virtutem. Si autem considerentur ut locus, id est, ut aliquid repletum a locato, sic est in locis replendo illa non formaliter, et per se, sed dando effective locatis vim replendi loca, addit vero D. Thomas quod Deus est in locis modo indivisibili, non tamquam indivisibile continui, sed extra genus continui tangens virtute non positione vel situ, et sic est totus in quolibet loco totalitate virtutis, et essentiae, non quantitatis.

In articulo tertio explicat D. Thomas tres modos, seu habitudines, quibus Deus existit in rebus, et dicit quod generaliter respectu omnium rerum in quantum sunt effectus Dei participantibus ab illo esse, est Deus in rebus triplici habitudine, et modo, scilicet per essentiam, præsentiam, et

potentiam; at vero respectu creature rationalium speciali quodam modo Deus existit per gratiam, non solum tamquam in re effecta a se, sed tamquam objectum cognitum, et amatum convivens illis familiariter. Ac denique singularissimo modo est in humanitate Christi, tamquam trahens illam ad suum proprium esse personale.

In articulo quarto inquit D. Thomas utrum esse ubique sic proprium Dei. Et respondet quod esse ubique primo, et per se est proprium Dei, ad quod requiruntur duæ conditiones. Nam ut sit ubique primo requiritur quod secundum se totum, et non per suas partes sit in omni loco; ut autem sit per se requiritur, quod non per accidens, et ratione alicujus suppositionis sit ubique, sicut granum tritici per accidens potest esse ubique ex suppositione, quod nullum aliud corpus esset in universo, nec alius locus.

DISPUTATIO VIII.

DE IMMENSITATE, ET CONTACTU DIVINO
AD RES.

ARTICULUS PRIMUS.

*An efficaciter probaverit D. Thomas
Deum esse in rebus?*

I. Duplici ratione probat D. Thomas in articulo primo Deum existere intime in omnibus rebus. Prima in argumento sed contra tali syllogismo: Ubi cumque aliquid operatur, ibi est, sed Deus operatur in omnibus juxta illud Isaiaæ xxvi; *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*; ergo Deus est in omnibus. Quæ ratio videtur inefficax, nam illa major: ubi cumque aliquid operatur ibi est, distingui potest, ibi per se, vel per suam virtutem, transeat; per suam substantiam, vel suppositum, nego, sicut sol operatur in terra, et non est ibi, nisi per suam virtutem, non per suam substantiam. Similiter ad minorem, Deus operatur in omnibus, vel intelligitur quod operatur in omnibus immediate immediatione suppositi, et hoc est petere principium, de hoc enim est difficultas, an Deus immediate in rebus per suum suppositum et per suam substantiam, vel intel-

ligitur, quod Deus operatur immediate immediatione virtutis, quia per propriam virtutem, et non ab alio acceptam, sed immediate in se habitam operatur; et ex hoc non sequitur, quod per suam substantiam sit immediate præsens omnibus, sed sufficit quod per virtutem a se diffusam.

II. Secunda ratio Divi Thomæ in corpore articuli constat uno syllogismo, et uno enthymemate, et formatur sic: Omne agens conjungitur, et tangit illud, in quod immediate agit, sicut probatur in vii physicorum, quod movens, et motum debent esse simul, sed esse creatum est proprius effectus Dei in fieri, et conservari. Ergo quamdiu res habet esse oportet, quod Deus adsit illi. Minor probatur, quia ideo ignis est proprius effectus ignis, quia ignis per suam essentiam est ignis, et ideo ad illum pertinet facere ignitum, sed etiam Deus per suam essentiam est ipsum esse, ergo proprius ejus effectus est omne esse participatum. Rursus esse est magis intimum unicuique rei, et profundius inest omnibus, quia est formalissimum respectu omnium, quæ in aliqua re sunt, ergo oportet, quod Deus sit in omnibus rebus, quæ habent esse assistendo intime in illis.

III. Circa hanc rationem primo dubitatur, quia æquivocat in majori, et in minori. Nam in majori

dicit, quod agens debet esse conjunctum ei, in quod immediate agit, in minori autem dicit, quod esse est effectus proprius Dei, effectus autem non est id, in quod agens agit, sed est id, quod agit, id vero in quod agit, est subjectum, ergo non probat ex hoc D. Thomas quod Deus assistit in omnibus rebus.

IV. Secundo, objicitur quia illa propositio: Omne agens oportet esse conjunctum, etc. traditur a philosopho de agente corporeo, quod operatur per contactum quantitativum tamquam per conditionem requisitam, et ita oportet prius habere contactum, quam operari. Ex hoc autem non potest ostendi, quod in rebus spiritualibus, et in omni agente requiratur ista immediata conjunctio agentis ad passum, ergo sine fundamento universalizavit D. Thomas illam propositionem etiam pro agentibus spiritualibus, si quidem non operantur mediante illa conditione, qua operantur agentia corporea, scilicet mediante contactu, præsertim, quia si operatio est ratio formalis existentiae Dei in rebus, prius est operari, quam conjungi, ergo non requiritur ad operationem conjunctio, sed infert illam tamquam effectum, ergo restat probare, quod semper inferat.

V. Tertio, objicit Vazquez hic disp. xxviii, cap. v. Nam etiam si demus, quod omni agenti necessaria est conjunctio cum effectu immediato, tamen hoc non potest intelligi de quocumque agente, sed de immediato immediatione suppositi, et virtutis, ut inquit Cajetanus hic. Si ergo intelligitur propositio de agente immediato immediatione causationis, seu virtutis, ex hoc non inferatur nisi conjunctio agentis ad effectum in ratione virtutis, et in ratione agentis, non tamen in præsentia substantiali, et secundum indistantiam, quæ enim est repugnantia, ut

in aliquo loco distante Deus producat effectum per suam virtutem? Si vero intelligitur de immediatione distantiae, et secundum propinquitatem suppositi ad passum, hoc modo propositio Divi Thomæ petit principium, et supponit probandum, scilicet quod Deus sit propinquus ad agendum propinquitate indistantiæ. De hoc autem est difficultas, et debisset ostendere D. Thomas per quam rationem formalem habet Deus istam indistantiam, si quidem ut operetur, supponit illam.

VI. Quarto, instatur illa secunda consequentia. Esse est intimum unicuique rei, ergo Deus producendo esse est intime in omnibus rebus, instatur, inquam, quia essentia, vel natura est magis intima rei, quam ejus esse, si quidem esse existentiae est prædicatum accidentale, et extra naturam, ergo producens essentiam, vel naturam est intime in illa, nihil valet consequentia, alias ignis generans esset intimus genito, et sol corpori a se producto, ista enim producant naturam, et etiam existentiam suorum effectum, quia non est producere naturam, nisi ponendo illam extra causas, qui est effectus formalis existentiae, ergo non producit natura ab aliquo agente, nisi producendo existentiam. Neque apparet quæ sit ratio cur ad producendum formam intimam rei necesse sit, quod agens etiam sit intimum illi, sufficit enim quod assistendo, et tangendo rem, formam ejus producat, quæ constituit intime rem.

VII. Quod si dicatur consequentiam Divi Thomæ tenere in agente universalissimo, quod per modum influxus operatur formam intimam rei, non in agente particulari, quod per modum transmutationis operatur naturam; vel quod tenet in Deo, quod est agens infinitum, et sic potest esse intime in rebus, contra est,

quia hoc secundum est divertere a ratione Div. Thomæ et non ex ipsa operatione, sed ex infinitate probare immensitatem. Primum autem non est sufficiens, quia etiam sol producit lucem per modum influxus, quia lux dependet in fieri, et conservari a sole, et tamen non est intime in omni luce, quam producit: ergo ex eo, quod Deus producit esse per modum influxus et secundum dependentiam in fieri, et conservari a se non sequitur, quod sit intime in rebus.

VIII. Ultimo, objicitur quia non apparet aliqua repugnantia, quod Deus operetur aliquem effectum per communicationem, et diffusionem suæ virtutis, scilicet quando operatur medio aliquo instrumento, tunc enim per virtutem impressam ipsi instrumento, quæ est virtus extra Deum, operatur effectum, et non se ipso immediate, alias non uteretur proprie instrumento, si immediate per se attingeret effectum, et sic non repugnaret dari instrumentum creationis, si ipse Deus immediate attingit effectum per se, et non per virtutem impressam in instrumento, ergo non est necesse quod omnis effectus exeat immediate a substantia Dei, et consequenter neque inferatur, quod substantia Dei est in omnibus rebus.

IX. Ad intelligendum rationes D. Thomæ supponendum est quod agens potest habere conjunctionem ad duo, scilicet ad subjectum, seu passum, in quod agit, et circa quod operatur, et ad effectum, quem producit. Et quidem ad subjectum, seu passum non potest agens etiam spirituale, ut infra ostendetur, conjungi media actione, et operatione sua, qua agit in ipsum, tamquam ratione formali, sed qua agit ex ipso, quia prius debet intelligi agens conjunctum passo, quam quod egrediatur actio, quia eductiva est, et

egreditur a subjecto, neque enim agere potest producendo actionem extra passum, et subjectum: hoc enim esset creare, quia actio non dependeret a subjecto in agendo. Si ergo actio non est creatura, ante egressionem actionis supponi debet agens conjunctum passo, et consequenter illa conjunctio non fit ad passum per actionem factivam ejus. Si autem actio sit creativa non habet passum, neque conjungitur illi. Cæterum cum effectus necessario debet conjungi agens media operatione sua, et virtute, quia terminus, seu effectus productus emanat a virtute, et operatione agentis, et procedit ab illa, ergo oportet, quod sit conjunctum media tali operatione suo agenti, et sic respectu illius, a quo immediate procedit, operatio ipsa est ratio conjungendi. Neque obstat, quod actio subjective sit in passo, et non in agente loquendo de actione formali, et consummata. Non inquam obstat, quia actio est in passo ratione sui termini, seu formæ productæ, quæ educitur ex aliquo passo, seu illi conjungitur. Unde remoto passo, ratio conjungendi effectum cum agente, a quo immediate procedit solum est operatio. Ex hoc autem fit, quod respectu Dei idem est effectus, quod passum, quia omne subjectum, et materia, et passum est effectus Dei.

X. Secundo, notandum est, quod licet Deus possit communicare, et diffundere virtutem extra se, per quam elevet instrumentum, vel perficiat causam secundam ad operandum, etiamsi ipsa causa secunda, vel instrumentum agat in distans, tamen impossibile est, quod Deus diffundat extra se virtutem habentem illum universalissimum modum producendi totum esse, ut etiam advertit S. Thomas III contra gent. cap. LXVIII, ratione IV: « Quia non est, inquit, aliqua creatura, per

quam possit expleri quidquid divina virtus potest facere, cum divina virtus excedat in infinitum quamlibet rem creatam. Inconveniens est igitur dicere, quod divina virtus non se extendat ad alia, nisi mediante uno primo, et ita Deus non est in tantum suorum effectuum, sed in omnibus. » Virtus autem diffusa extra Deum quantumcumque sit participata ab ipso necessario est aliquid creatum, si quidem est extra Deum, et consequenter est limitata, et particularis, et sic non habet infinitum, et universalem modum operandi supra totum ens, nec producendi ens in quantum ens, sed solum producendi determinato modo effectum, quod pertinet ad causam particularem, ratione cujus nulla creatura potest creare, ut ostendit D. Thomas I p. q. XLV, art. III. Deus autem in omni re, et in omni effectum ita concurrat ad producendum, et conservandum ejus esse, quod per ipsam virtutem increatam, et non per creatam, et diffusam extra se operatur. Cujus ratio est, quia licet non omnia creentur a Deo ex nihilo, tamen ita subordinantur, et dependent in suo esse ab influxu Dei, quod totaliter præbet illis esse, si quidem quamcumque rem potest per suspensionem influxus annihilare, ut docet D. Thomas I p. qu. CIV, art. I. Ergo quælibet res sive creetur ex nihilo, sive producat cum causa secunda, ita dependet a Deo, quod potest totum esse ejus per suspensionem influxus annihilare, ergo signum est, quod dependebat a Deo quantum ad totum esse, non minus, quam res illæ, quæ simpliciter creantur. Quare perinde est, quod res immediate creentur a Deo, vel mediantibus causis secundis producantur, vel quod divina virtute agant in distans priusquam in propinquum, quomodocumque enim in his effectus se habeant, tamen

respectu Dei, ita redditur dependens, quod potest per immediatam suspensionem influxus totum esse cujuscumque effectus annihilare, ergo signum est, quod dependet ab illo universalissimo modo operandi, qui ita est proprius Dei, et ipsa virtus Dei, quod non potest esse virtus creata, et extra Deum diffusa, sic enim illa virtus creata esset creativa, ejusque suspensio annihilativa totius esse. Quæ ratio efficacior est quam alia, quæ ab aliquibus afferitur, quod quia Deus operatur actione immanenti, debet esse immediate per suam substantiam, in qua est actio immanens, cuicumque effectui. Cæterum hæc ratio non multum probat, actio enim immanens Dei non facit effectus extra Deum, nisi ut est virtualiter transiens; restat ergo reddere rationem cur non possit diffundere extra se virtutem qua operetur in aliquid distans. Nam etiam Angelus operatur actione immanenti, ut virtualiter transeunte in hac sententia, et tamen operatur aliquando effectum distantem a se per virtutem diffusam.

XI. Ultimo, notandum est, quod cum dicit Div. Thomas, quod esse est magis intimum, quia est formale respectu omnium, loquitur in sensu valde formali, id est, quod est magis intimum in formalizando, et actuando quam aliqua forma, non tamen quod magis intimum in constituendo, et componendo essentiam rei. Dicitur enim aliquid intimum, quia intrat ad interiora alicujus essentiae, interiora autem essentiae sunt ea, ex quibus componitur ejus definitio, et quidditas. Unde id, quod non pertinet ad quidditatem dicitur esse extra definitionem, seu extra esse essentiae, neque est intrinsicum in constituendo respectu essentiae. Hoc ergo modo esse non est intimum rei, quia non intrat defi-